

dinale in presentia Petri Tiburtini uenerabilis uiri me nequiter accusauere. Predictus uero Iohannes causa mea non canonice discussa^a religiosi^b uiris displicendo et maxime prefato Petro excommunicationis terrore et populari fauore, que in me concitata est, minabatur abbatiam^c confutare compulit et uentrem ferreum^d meum monachum, qui secundum sancti Benedicti regulam obedientiam mihi promiserat, superimposuit. Venerabilis igitur pater, primum uestre pietati, deinde huic uniuerso concilio supplico, ut causa diligenter examinata, quod iuris ratio postulat, exinde faciat.

2.

fol. 66^a. Innocentius seruus seruorum Dei P. sancti Faustini abbati salutem et apostolicam benedictionem^a. G. quondam tui monasterii abbas ad nos usque peruenit ac de fratre nostro Iohanne et titulo sancti Grisogoni cardinale querimoniam habuit. Eum namque non secundum iuris rationem tractauit et abbatiam^b iniuste refutare compulit et te suum monachum, qui ei obedientiam feceras, nequiter intrusit. Per hec itaque presentia scripta tibi precipiendo mandamus, ut tuam causam tueri paratus in sinodo ante nos te representes, quam apud Capuam tercio decimo die kal. iulii celebrare decreuimus.

3.

fol. 66^b. I. reuerentissimo patri ac domino sancte Romane ecclesie et apostolice sedis antistiti P. abbas sancti Faustini dictus licet indignus debitam obedientiam et omnimodam reuerentiam. Vestre sanctitatis litteras, pater sanctissime, quarum iussionibus obedire desidero, summa deuotione, qua debui, libentissime suscepi. Sed sicut presentium latoribus nuper est cognitum, per unius mensis spacium graui infirmitate detentus de lectulo surgere non possum. Vestre igitur paternitatis bonitatem precibus obnixis efflagito, quatinus canonicas indutias mihi tribuatis. Congruo namque tempore uobis obedire et obiectis respondere paratus ueniam.

4.

fol. 76^b. I. seruus seruorum Dei R. Pruuinensi archidiacono salutem et apostolicam benedictionem. Quia domino largiente

1. ^a) discussa *Hs.* ^b) relligiosis *Hs.* ^c) abatiam *Hs.* ^d) Diese Stelle ist verderbt; aus den folgenden Briefen geht hervor, daß der Gegenabt P. (Petrus?) ließ.

2. ^a) benedicionem *Hs.* ^b) abatiam *Hs.*